

dicium est, sed eorum, qui iustam scientiam linguarum, et usum interpretandi habent, maximeque ipsius usus, qui est, in talibus rebus, iudex, laudator, et corrector optimus. Atque etiam in tota hac re maxime iuuentutem spectavi, nondum imbutam falsis opinionibus. Nam alios, qui iam adsueti sunt suis Canonibus, emendare velle, inanis labor est, et sperare, fore, ut dediscat aliquis, quod dudum didicit, et fortasse etiam saepe docuit, mera stultitia est. Rara felicitas est, inuenire, qui sua dimittere, aliena recipere velit immo audeat. Ea me usurum esse apud multos, adeo non spero, ut etiam vehementer sim admiraturus, et prope prodigii loco habiturus, si ea mihi praeter caeteros contingat.

Maxime autem operam dedi, ut modus reperiendi sensus per usum loquendi, iudicium tropicae et emphaticae orationis, tum totus locus de Critica Nou. Test. itemque de usu versionis τὸν ὁ, perspicuis et certis praecipis explicaretur: in quibus locis, nondum satis ante, ut mihi visum est, explicatis, quoniam in hoc genere rerum magnam aetatis partem contriui, sane, si non potui, at debui aliquid efficere, quod saltem esset ad usum et iudicium accommodatius. In ultimo Partis secundae capite, et in parte ea, quae ad historiam et antiquitatem pertinet, longior fui, quam pro  
insti.